



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

34. An testamentum non solemne ad pias causas, reuocet prius solemne etiam ad pias causas? Et an hoc etiam intelligatur, cum folium, vel schedula esset subscripta manu testatoris? Ex p. 7. tr. 6. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

venientes ab intestato hæredes instituti sunt, Pa-
norm. in *conf.* 1. n. 1. Raph. Cuman. *conf.* 177. Tiraq.
de *pia caus.* priviil. 52. Hæc Maulius.

RESOL. XXXIV.

An testamentum non solemne ad *pias causas*, reuocet
prius solemne etiam ad *pias causas*?
Et an hoc etiam intelligatur, cum folium, vel schedula
esset subscripta manu testatoris? Ex p. 7. tr. 6. Ref. 27.
alias 26.

Sup. hoc in
Ref. præce-
rita §. ca. de.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam tenet Emanuel Sâ,
ver. *testament.* n. 5. Syluester. *cod. ver.* 1. q. 7.
in *fin.* Trullench in *Decal. rom.* 2. l. 7. c. 18. d. 4. num. 4.
Bonac. de *Contract.* d. 3. q. p. m. 3. n. 16. Cardin. Lugo de
Iust. tom. 2. disp. 12. sect. 9. n. 270.

2. Sed vt verum fatear hæc opinio non caret diffi-
cultate, & ideo negativæ sententiæ adheret Fachin.
l. 4. *cont. iur.* c. 6. Tusc. *tom.* 8. *concl.* 116. n. 94. vbi citat
Old. *conf.* 119. & Angel. Aretin. *conf.* 91. Quia privi-
legiatum non potest vt privilegio contra pariter pri-
uilegiatum. Et hanc sententiam tenent etiam doctus
Hulric. Hon. feliciter ex Lutheranismò ad Eccles.
Rom. rediens, in *sua Encyclop. iur.* p. 4. tit. 3. c. 2. n. 9.
vbi sic ait. Per testamentum posterius ad *pias causas*
sine solemnitate iuris factum, reuocatur præce-
dens testamentum perfectum; excepto eo casu, quo
in priori testamento solemni & perfecto alia pia
causa instituta esset, tum enim aliud obseruatur. Ita
ille.

3. Sed quia communis sententia est in contrarium,
non audeo ab ea discedere, vnde Molina *ro. 1. tr. 1. d.*
153. in princ. sic ait: Primum testamentum legitimè
factum, id est, in quo sunt omnia requisita, vt sit vali-
dum, reuocatur per secundum legitimè etiam factum,
esto in secundo sit minor solemnitas. Vnde secundum
testamentum factum ad *pias causas* coram duobus tes-
tibus reuocat primum, etiam si ad *pias causas* esset factum
coram tabellione, & viginti testibus, imò etiam
si factum fuisset coram Rege, & ab eo esset approba-
tum. Ita communis Doct. sententia, Hæc Molina; &
ratio erit, quia, quia seclusa solemnitate ciuili validum
esset secundum testamentum, & posset prius factum
reuocare. Dicendum est igitur primum testamentum
solemne ad *pias causas* reuocari per secundum minus
solemne etiam ad *pias causas*, cum sufficiat, quod istud
secundum sit perfectum in sua specie, & habeat sua
substantialia requisita ad sui ipsius perfectionem,
quamuis primum contineat plures solemnitates: nam
maior solemnitas non inducit maiorem perfectionem:
vbi cumque vtrumque est perfectum quoad solemnita-
tatem necessariam requisitam, quasi solemnitas super-
flua, & non necessaria non attendatur, iuxta doctrinam
Bart. communiter in proposito approbatam in *l. heredes palam* 11. §. si quis post. *num.* 3. *vers. sed dubium.* ff. de
test. val. in *l. si ita sit scriptum.* alias incip. *Si ita sit ad-*
scriptum 14. n. 28. ff. de *leg. 1.* Dec. in *l. nihil tam naturale.*
3. n. 5. & ibi Cognol. *nu.* 7. ff. de *reg. iur.* cum aliis
per Magdalen. de *n. test. in test. requis.* c. 26. n. 235. l. 1.
fol. 224. Cæteras rationes, & Authores videbis apud
Gratian. *rom.* 4. *discep. forens.* c. 605. n. 12. & seq. qui
optimè obseruat hoc à fortiori procedere, quando in
secundo testamento causa pia non esset grauata tot
oueribus, vt in primo.

4. Nota etiam cum dicto Gratiano n. 20. quòd hæc
opinio procederet etiam, cum folium, seu schedula
esset subscripta manu testatoris, nam esset secundum
testamentum validum, cum simus, vt supra etiam fir-
matum est, in dispositione ad *pias causas*, in qua non
requiruntur testes, nec aliæ solemnitates, & sufficit so-

Supra in ref.
que hic est
18. §. hinc &
in aliis eius
primæ not.

la subscriptio, Couar. in *cap. relatum.* el. 1. n. 12. in *fin.*
de *testam.* Rui. *conf.* 71. n. 16. vsque ad 19. lib. 3. Alex.
conf. 4. col. 3. n. 10. lib. 7. Dec. *conf.* 158. *casu qui pro-*
ponitur, n. 3. Tiraq. *priviil. pia caus.* 4. Imol. in *l. si is*
quis, alias incip. si quis cum testamentum 25. num. 6. &
ibid. Aretin. *col.* 2. *post med. ver. in primo casu dicitur hic.*
ff. de *testam.* cum aliis per Rot. *dinerf. decis.* 74. num. 12.
vsque ad 20. p. 2. Grassin. §. *testamentum*, q. 19. n. 3. Iaf.
conf. 61. n. 6. lib. 1. Boër. *decis.* 240. n. 4. Exemplo mili-
tis, cuius testamentum valet sine aliqua solemnitate
etiam si esset scriptum in clypeo eius sanguine titulan-
ti, dummodo per duos testes manus eius recognosca-
tur. *l. milites in expeditione degentes*, 15. C. de *test. mil.*
ergo eodem modo in schedula ad *pias causas*, que va-
lebit dummodo probetur per duos testes manus scri-
bentis, cum isti duo casus æquiparentur. Rui. *conf.* 71.
n. 18. l. 3. Vide etiam Menoch. *conf.* 224. n. 58. & seq.
Mantic. de *coniect.* lib. 6. tit. 3. n. 13.

RESOL. XXXV.

An testamentum ad *pias causas* censetur habere clau-
sulam derogatoriam aliorum? Ex p. 7. tract. 6. Ref. 28.
alias 27.

§. 1. **A**D hoc Dubium sic respondet Molina de *ius.*
rom. 1. tr. 2. disp. 153. An verò testamentum
conditum ad *pias causas* virtute censendum sit habere
etiam clausulam derogatoriam subsequentiū testa-
mentorum, æquandūque hæc in parte sit testamento
condito in liberos. Quidam, quos Greg. Lopez *vbi su-*
pra. & Couar. *concl.* 4. cit. *col.* 7. referunt, affirmant,
& in eam sententiam pendet Greg. Lop. Alij, quos
Couar. refert, negant. Mihi autem nihil hæc de re est
certum, Ita Molina.

RESOL. XXXVI.

An statuta laicorum includant testamentum ad *pias*
causas vt v. g. *statute* *statuto*, vt *uxor sine consensu vi-*
ri testamentum facere non possit, an valeat saltem ad
pias causas?

Et an quibus in casibus valeat testamentum Militis,
iisdem quoque valeat testamentum ad *pias causas* con-
ditum? Ex p. 7. tr. 6. Ref. 29. alias 28.

§. 1. **R**espondeo negativè cum Schurphio *cent.* 1.
conf. 32. n. 1. *seq.* Tuschio *ro.* 8. *concl.* 116.
n. 57. Hunnio in *Encyclopaedia iuris*, part. 4. tit. 3. cap. 1.
n. 1. & Barbosa de *iure Eccles.* lib. 3. c. 27. num. 103. Et
ideo Thomas Maulius *tr. de vlt. volunt.* lib. 1. tit. 12. n. 7.
sic ait: Sed quid stante statuto, quòd vxor sine con-
sensu viri testamentum facere non possit, an valebit
saltem ad *pias causas*? Valere ad *pias causas* esse com-
municem opinionem refert Grass. §. *Testament.* qu. 17.
n. 10. Quidni ciuilitè mortuo vt pura deportato? Et
permissum esse ad *pias causas* testatori vult Bart. in *lib.*
1. T. de SS. Eccles. & est commun. opin. Grass. §. *Te-*
stam. q. 19. n. 9. quia in relicto ad *pias causas* cessat om-
nis solemnitas iuris positivi, & sufficiunt solemnitates
iuris gentium. Ita Maulius. Hinc rectè Trull. in *Decal-*
og. tom. 2. lib. 7. c. 18. *dub.* 4. n. 2. & Barbosa docet sta-
tutum Laicorum inducens nouam solemnitatem in
testamentis ad *pias causas* non valere; quòd etiam do-
cet Tuschus *tom.* 8. *concl.* 116. n. 57.

2. Notandum est tamen hæc obiter cum Hunnio,
& Tuschio loco citato quòd quibus casibus valet testa-
mentum militis, iisdem quoque quoque valet testamentum
ad *pias causas* conditum.

RESOL.